



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. Cl. De Ludo, & Aleatoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

29. *Quer.* An dominus possit quandocumque revocare Procuratorem? *Resp.* Negativè circa Procuratorem ad lites, quando lis est contestata, nisi ex rationabili causa suspicionis, vel inhabilitatis; sed affirmativè quo ad Procuratorem ad negotia. *cap. 2. de Procurat. in 6.*

30. *Quer.* An Procurator post litem contestatam possit renunciare officio suo, & nolle amplius tanquam Procuratorem intervenire? *Resp.* Negativè, quia jam factus est dominus litis. *Othob. decis. 226. num. 6.*

31. *Quer.* An gesta per Procuratorem revocatum, antequam habeat notitiam revocationis, valeant? *Resp.* Affirmativè, excepto contractu Matrimonii. *cap. Mandato, 13. de Procuratoribus.*

32. *Quer.* An Procuratores generales Ordinum possint etiam esse Superiores in Conventibus Ordinis, qui sunt in Urbe? *Resp.* Affirmativè ex Sacra Congr. quam citat Nicol. ubi supra num. 30.

33. *Quer.* Quæ sit differentia inter Procuratorem, & Syndicum? *Resp.* Quod Procurator gerit negotia particularis personæ; Syndicus verò Universitatis. *Gloss. in Cap. Coram, 7. de in integr. restitutione.*

34. *Quer.* Quot modis Mandatum finiatur? *Resp.* 1. Revocatione. 2. Morte mandantis, nisi Mandatarius deputatus sit non proprio nomine, sed nomine dignitatis; vel nisi Mandatum esset factum cum clausula, *duret, donec ego revocavero*, & mortuus sit Mandans sine revocatione. *Bonac. de restit. disp. 1. quæst. 2. p. 7. num. 24. & 3. Morte Mandatarii. l. Si quis, 27. §. Morte, ff. Mandati.*

35. *Quer.* An dispensationes Matrimoniales directæ Vicario Episcopi, si ante expeditionem moriatur Episcopus, possint expediri à Vicario Capitulari? *Resp.* Negativè. *Barbos. ad Concil. Trident. sess. 7. de ref. cap. 10 num. 6. & 7. & sess. 24. de ref. Matrim. cap. 5. num. 26.*

36. *Quer.* An Vicarius Episcopi possit substituere sibi Vicarium alium, vel causas alteri delegare? *Resp.* Negativè, si id velit generaliter facere; at per paucos dies potest Pro-Vicarium loco sui substituere; & unam, vel duas causas alteri delegare. *Pax Jordan. tom. 1. pag. 232. num. 16. & 17.*

37. *Quer.* An Mandatarius teneatur de casu fortuito in damnum Mandantis, vel è contra? *Resp.* Negativè de rigore juris, nisi de eo expresse promississet. *l. A Procuratore, 13. C. Mandat. At ex æquitate, si Mandatarius damnum patitur, puta si in Latrones incidit, & ab eis spoliatus fuit, dum iret pro executione Mandati, Mandans tenetur ad damna refarcienda. Nicol. Institut. Civil. dist. lib. 3. tit. 27. num. 10.*

CAPUT C.

De Obligationibus, quæ ex quasi contractu nascuntur.

1. *Quer.* Quæ sint Obligationes provenientes ex quasi contractu? *Resp.* Esse sex, Prima, ex negotiorum gestione, quam

Doct. Clericali Tom. II, Lib. VII.

do quis aliena negotia in absentia domini gessit utiliter, vel utiliter gerere cœpit; ut si Medicus filium infirmum curare cœperit absente patre; nam licet moriatur, potest petere salarium. *l. Sed an ulterius, 11. §. 1. ff. de Neg. gest.* Secunda ex tutela, vel cura inter tutorem, & pupillum; minorem, & curatorem, actio circa administrationem, quæ ex quasi contractu ducitur. Tertia, inter hæredes, & legatarios. Quarta, inter hæredes volentes hereditatem dividere. Quinta, inter socios rem communem volentes pariter dividere. Sexta, solutione indebiti, nam qui recipit indebitum, est obligatus ad restitutionem, si ignoranter fuit solutum. *l. Donari, ff. de Reg. Jur.*

2. *Quer.* An præsumatur solutum, seu remissum debitum per redditionem seu cancellationem chirographi? *Resp.* Affirmativè, *l. 2. ff. de Pactis.* Nisi debitor esset domesticus, quia præsumeretur propria auctoritate illud arripuisse, vel cancellasse. *l. Pecunia, 14. C. de Solut. l. 1. C. de Donat. Rota apud Farinac. par. 1. decis. 443. num. 9.*

CAPUT CI.

De Ludo.

1. *Quer.* Quid sit Ludus? *Resp.* Est contractus, quo ludentes rem suam exponunt periculo, propter spem acquirendi rem alterius. *Nicol. Institut. Civil. lib. 3. tit. 21. num. 20.*

2. *Quer.* Quot requirantur, ut ludus licite possit haberi, & lucrata in eo retineri. *Resp.* Sex. Primò, ut ludens non utatur fraudibus. Secundò, ut unus non compellat alterum ad ludendum per vim, dolum, vel convitia. Tertiò, ut ludens possit disponere de re, quam exponit in ludo. Quartò, ut sit æqualis conditio ludentium quo ad peritiam, vel vires. Quintò, ne ludus fiat propè Ecclesiam, vel in viis publicis, si sit periculum offendendi transeuntes: ut in ludo pilæ, pilonis, vel rotulationis cascorum ligneorum. Et Sextò, ut ludus non sit prohibitus, qualis est Alea, & taxillorum. *Nicol. ubi supra. Quamvis DD. apud Diam part. 2. tract. 15. resol. 65. dicant, hodie prohibitionem Alea non esse in usu, & idè non obligare. l. Alea, C. De religiof. & sumpt. funer. Salmanticenses tract. 14. de Contract. cap. 4. punct. 3.*

3. *Quer.* An perdens aliquid ludo prohibito teneatur in foro externo solvere? *Resp.* Negativè, imò potest solutum repetere. *d. l. Alea, C. De religiof. & sumpt. funer. Salmanticenses d. punct. 3. num. 62. ubi DD.*

4. *Quer.* Quæ sit poena mutuantis pecuniam ad ludendum? *Resp.* Quod nulla de- tur actio ad repetendum; & omnes actus, & instrumenta facta occasione ludi nulla sint, imò Notarius possit puniri. *d. l. Alea, & Ludovis. decis. 47. Imò si quis domi teneat publicum alea ludum, & percutiatur ratione ludi, impune percutitur. Grammat. decis. 40. num. 5. Riccius resol. 119. num. 1. & 3.*

§ 2.

5. *Quer.*

5. *Quer.* An sit peccatum mortale, ludere Aleis, aut taxillis? *Resp.* Quo ad Laicos communiter censei, non esse mortale peccatum ob defuetudinem legis prohibitoria. Navar. in *Man.* cap. 20. num. 11. Sanchez *Opusc. Moral.* lib. 1. cap. 8. dub. 25. num. 5. Sed quo ad Clericos communiter censeiur mortale peccatum, non obstante contraria consuetudine, (quæ corruptela est) dummodo id frequenter faciant. cap. *Episcopus*, 35. dist. Sanchez ubi supra dub. 28. num. 7. Thesaur. de *Pan. Eccles.* par. 2. de *Lusu alea.* cap. 4. Illustr. Sarnell. *Epist.* 25. tom. 2.

6. *Quer.* An inter laicos victus in ludo prohibito possit retinere in conscientia, quod promissit? *Resp.* Esse hinc inde opinionem probabilem; & pro utraque stare plurimos Doctores, ut videre est apud Filiucium tract. 37. num. 72. & apud Dianam Coord. tom. 6. tract. 4. resol. 27. & Salmanticenses d. cap. 4. punct. 3. num. 62. qui notant, quod qui iuravit solvere, non potest retinere.

7. *Quer.* An si Clericus perdiderit in ludo prohibito, teneatur in conscientia solvere? *Resp.* Negativè. Sanchez dist. lib. 1. consil. cap. 8. dub. 1. num. 8.

8. *Quer.* An victor Clerici possit in conscientia retinere, quod vicit, licet pecunia habita sit ex fructibus beneficiorum? *Resp.* Alios Doctores dicere, quod tuto potest retinere, donec fuerit condemnatus, eam restituere. Less. lib. 2. cap. 4. num. 43. Sanchez lib. 2. consil. cap. 2. dub. 38. num. 14. Alios autem docere, quod teneatur restituere etiam ante sententiam. Menoch. de *Arbitr. Judic.* cas. 399. num. 4. Layman. lib. 4. tract. de *Benef.* cap. 3. num. 3. §. ad *Alteram*.

9. *Quer.* Quid juris in simili casu cum Regularibus ludentibus? *Resp.* Circa Regulares perdentes in ludo prohibito; certum est, restitutionem esse omnino faciendam Monasterio; nisi aliquid leve lusorium, honestæ recreationis causa, de licentia Superiorum. Suarez de *Religion.* tom. 3. lib. 8. cap. 16. num. 25. Quod etiam de Religiosis militibus S. Joannis intelligitur. Rota coram Buratto decis. 2. num. 11. Diana part. 7. tract. 9. resol. 14. Intelligi, si Religiosus non habebat licentiam ludendi. Bordon. de *Paupertate Rel.* cap. 19. num. 47. Card. de Lugo de *just. & jur.* disp. 3. num. 142. cap. 145.

10. *Quer.* Ad quid teneantur in foro conscientiae suscepiatores Aleatorum, id est, qui dant paratum locum collusoribus alearum? *Resp.* Esse in statu peccati mortalis ob rixarum, & blasphemiarum occasiones; & teneantur in subsidium ad omnia damna, quæ ibi convenientes patiuntur. Thesaur. ubi supra de *Panis Eccles.* cap. 4. sub num. 2. in fine. Summ. Diana verb. *Ludus* num. 22. ubi DD.

11. *Quer.* Quæ sint poenæ juris in foro externo contra alearum lufores? *Resp.* Quod frequentantes ludum alearum habentur personæ viles, & infames infamia facti; à qua non liberantur, nisi per triennalem constantem vitæ emendationem; & propterea dicta infamia durante repelluntur à testimonio. Rol. à Valle cons. 34. num. 2. & 4. Non sunt promovendi ad ordines, Gloss. in cap. *Clerici*

15. verb. *Ad aleas.* De *Vit. & honest. Cleric.* Major. de *Irregular.* cap. 1. num. 7. Et sunt incapaces beneficiorum. Abb. in cap. *Inter dilectos* num. 6. & ibi Barbof. de *Excessibus Prælator.*

12. *Quer.* An collatio beneficii facta Clerico publico alearum lufori sit ipso jure nulla, vel per sententiam irritanda? *Resp.* Utramque opinionem esse probabilem. Thesaur. ubi supra num. 3. in fine: ubi advertit, quod si agatur de conferendo beneficio, certe debet collatio impediri; & sic de jam collato agatur, ubi Clericus non se emendat, est deponendus, & beneficii spoliandus. Diaz in *Praxi Criminal.* cap. 73. num. 2. & ibi adden.

13. *Quer.* An Clericus dictis poenis afficiatur, si ludat non ex lucro, sed recreationis causa? *Resp.* Affici, dummodo frequenter ludat, quia canones ludum prohibent indistincte. Sanchez *Opusc. Moral.* tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 24. num. 3. Summa Diana verb. *Ludus* num. 2.

14. *Quer.* An Regulares ludentes aleis, vel taxillis in foro interno peccent mortaliter? *Resp.* In Religionibus observantibus absque dubio est peccatum mortale; in aliis vero largioribus moderatus ludus excusandus videtur à mortali. Diana part. 7. tract. 9. resol. 12. & ibi alii DD.

15. *Quer.* An Laici aleis, vel taxillis continud ludentes quoad conscientiam mortaliter peccent? *Resp.* Quamvis vigore legum abrogatarum contraria consuetudine non videantur peccare mortaliter; tamen quia sæpe blasphemant, dilapidant bona domus, uxorum, filiorum, & pejerant, non possunt excusari à peccato mortali. Summa Diana verb. *Ludus* num. 4. ubi DD. Salmanticenses d. tract. 14. cap. 4. num. 52. ubi Lusorum infelicitatem animæ, & corporis demonstrant.

16. *Quer.* An ludens animo lucrandi magnam quantitatem pecuniæ peccet, & faciat contra decimum Decalogi præceptum? *Resp.* Negativè, quia prohibetur ibi concupiscere res alienas modis illicitis assequendas; qualis non est ludus, in quo non interveniat fraus; aut ex eo magnum detrimentum non resultet uxori, aut familiæ ludentium. Summa Diana dist. verb. *Ludus* num. 5.

17. *Quer.* An sit illicitum ludere salutationem Angelicam, Psalmos &c. *Resp.* Negativè, si absque irreverentia fiat, & ex honesta recreatione. Diana part. 7. tract. 9. ref. 41. Quæ in Coord. est d. tom. 7. tract. 4. ref. 4.

18. *Quer.* An si quis ludat cum filiosfamilias. & lucretur, possit lucrum retinere, vel ad restitutionem sit obligatus? *Resp.* Si filiosfamilias exposuerit in ludo id, quod à Patre sibi conceditur pro sustentatione in scholis, vel in curia; & alibi habet filius, quo se sustentet, victor non tenetur ad restitutionem. At si nullam habeat filius administrationem, & ludat de propria pecunia Patris, victor restituere tenetur. DD. quos allegat Summa Diana ubi supra num. 11. 12. & 13. Et Salmanticenses ubi supra num. 54.

19. *Quer.* An si filiosfamilias ludendo vincat, retinere possit? *Resp.* Aut collusor sciebat

sciebat, eum esse filiumfamilias, & potest retinere; aut nesciebat, & retinere non potest, quia contractus est inæqualis, & nullus. Summa Diana *ibid. dict. num. 12.* Salmanticens. *ibid. num. 55.*

20. *Quer.* Quid juris, si quis luserit, & vicerit cum minori; an in conscientia iste teneatur solvere; & victor retinere? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. Porro, si minor recusaret solvere; vel si victor restituere recusaret, uterque poterit à Confessario absolvi. Diana *part. 3. tract. 5. resol. 44. & par. 7. tract. 9. resol. 13.* Quæ est in Coord. d. tom. 6. tract. 4. resol. 15. ubi DD. referuntur.

21. *Quer.* An ludens cum Uxore alterius, & vincens possit retinere pecuniam, quam vicit? *Resp.* Affirmative in septem casibus. Primo, si uxor habeat bona paraphernalia. Secundo, si maritus ei concedat libertatem, pecuniam aliquam expendendi. Tercio, si pariter eidem dederit ad sui ornatum; & ipsa restrictius expendat. Quarto, quando maritus consentit, & ludat. Quinto, quando uxor administrationem domus habet. Sexto, si uxor sua industria, & labore aliquid pecuniam acquirit. Et Septimo, quando perdit eam tantum summam pecuniae, quam alia feminae suae conditionis solent ludere. Summa Diana *ubi supra verb. Ludus num. 16.* & ibi DD.

22. *Quer.* An liceat fraudes adhibere in ludo alearum; ad vincendum? *Resp.* Aliæ sunt fraudes licitæ ex natura ludi, quæ potius industriae vocantur; nempe qui inferiores chartas habet, fingere optimas habere; augere sponsonem, ut alius timeat, & desistat; vel si habens optimas chartas, simulatè dicat: *Vada à monte*, ut alter animosè augeat sponsonem, ludat, & perdat, & his fraudibus uti, non est peccatum. At qui fraudibus injustis uteretur, aut auferendo, vel mutando chartas collusori non advertenti, peccaret; & teneretur ad restitutionem. Summa Diana *dict. verb. Ludus. num. 18. 19. & 20.* Salmanticens. *d. cap. 4. num. 56.*

23. *Quer.* An qui ludendo vicit *sù la parole*; si ei solvatur à perdente, possit licitè solum retinere? *Resp.* Affirmative; quia licet non possit de jure petere, quod vicit; potest de jure retinere, quod sibi solum fuit; etiam si solvens ignoraret, se non esse obligatum solvere. Summa Diana *ubi supra num. 25.* Salmanticens. *num. 61.*

24. *Quer.* An qui ludit, animo non solvendi, si perdat; possit licitè retinere, si vincat? *Resp.* Esse hinc inde opinionem. Summa Diana *ibid. num. 26.*

25. *Quer.* Si lusor paciscatur cum alio pecuniam conferente, quod si perdat, damnum sit æquale; si vincat, non possit petere, nisi tertiam partem lucris, an id licitè fieri possit? *Resp.* Affirmative; tum quia lusor ponit etiam industriam; tum quia consensus privatorum in re propria est attendendus. Sanchez in *Opuscul. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 23. num. 2. & 3.*

26. *Quer.* An in conscientia qui perdidit ludendo, teneatur solvere? *Resp.* Probabiliorem esse opinionem negativam in ludo

prohibito; quia ubi non datur actio ad petendum, eo magis datur exceptio ad non solvendum. Ideo si ludentes renunciarent legis beneficio concedentis repetitionem soluti in ludo, tenerentur etiam in conscientia solvere, quod perdidissent. Sà *verb. Ludus. num. 9.* Diana *part. 7. tract. 9. resol. 21. & 23. & in Summa num. 32.* Salmanticens. *d. tract. 14. cap. 4. num. 62.*

27. *Quer.* An qui pecuniam vicit, teneatur in conscientia restituere, si dubitet, se vicisse per fraudem? *Resp.* Restituere debere, quia in dubio non potest acquirere. Summa Diana *d. verb. Ludus. num. 34.*

28. *Quer.* An teneatur restituere lucrum ex ludo prohibito, qui per vim, aut fraudem fecit; ne iudex decerneret restitutionem? *Resp.* Affirmative. Non autem, si impedierit condemnationem absque vi vel fraude. Molin. *de just. & jur. tom. 2. tract. 2. disp. 5. 14.* Diana *part. 7. tract. 9. resol. 27.*

29. *Quer.* An obligatus sit restituere collusor, qui excellit in petitiis ludendi? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. At non esse obligatum, omnes tenent, quando nota erat collusori peritiis alterius. Summa Diana *d. verb. Ludus. num. 36.*

30. *Quer.* An in ludo liceat uti fraudibus ad lucrandum, utpotè chartas signando, luffurando, signis notando, veritatem punctorum alterando; & similibus? *Resp.* Negative, & qui sic faciendo lucratur, tenetur ad restitutionem. Summa Diana *ubi supra num. 38. & ibi Theologi. Salmanticens. ubi supra num. 48.*

31. *Quer.* Si quis ludendo lucretur pecuniam, quam quis furatus erat, an possit eam retinere, vel debeat vero domino restituere? *Resp.* Si pecunia illa sit in specie, quam fur arripuerat, tenetur vincens eam vero domino restituere; secus autem, si eam confudisset cum sua pecunia, vel eam cum altera permutasset. Bonacin. *de Restit. disp. 2. quest. 3. punct. 2. num. 18.*

32. *Quer.* Si tenearis restituere mihi centum ex aliqua obligatione, & ludendo mecum lucro prohibito amittas centum, ita, ut eā ego sim à te lucratus, an possit hæc centum computare pro prædicta alia obligatione: & teipsum liberum reputare à restitutione antedicta? *Resp.* Negative, quia durat in te illa obligatio, & ea non resolvitur ex hoc lucro. Quod si restitutio illa esset à te facienda pro fraude commissâ in eodem lucro; adhuc plures Doctores tenent, quod dufet obligatio restituendi; quamvis alii putent, eam cessare; quasi censetur una, & eadem actio, quicquid in eodem ludo hinc inde fit, donec non est licentiatus, & finitus ludus. Sanchez in *Opuscul. Moral. lib. 1. tom. 1. cap. 7. dub. 20. & Summ. Dian. num. 45. Verb. Ludus.*

33. *Quer.* Quando quis juravit, vel vovit, non ludere; an detur parvitas materiae, quæ eum excuset à mortali peccato, si contra votum, vel juramentum de non ludendo durat? *Resp.* Dari parvitatē materiæ, quæ excusat à mortali. Porro hæc parvitas materiæ erit desumenda à fine principali,

142 Erot. Eccles. Cap. CII. De Testamentis, & Legatis.

ob quem talis iste juravit non ludere. E. gr. si juravit non ludere, ut se privet à delectatione, parvitas materiæ erit parva delectatio. Si, ut non consumeret, tempus in vanum, parva materia erit parva mora; si, ut vitaret jacturam pecuniæ, parva pecunia exposita in ludo erit parvitas materiæ; si ut rixas, aut blasphemias fugeret; parvitas materiæ desumenda erit ex occasione, in qua se exposuit, talium peccatorum. Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 3. cap. 18. num. 2. & 3. Diana part. 5. tract. 5. resol. 38.

34. *Quer.* An possit dispensari juramentum non ludendi ad tollendum periculum mortalis peccati in eo, qui nisi difficillimè potest à ludo abstinere? *Resp.* Plures Doctores negant. Alii tamen benigniori sententia id concedunt; eoque magis volunt, posse commutari in aliquod pium opus. Diana part. 6. tract. 9. resol. 55. & in Summ. Diana verb. Votum num. 49.

Tandem, quia hæc scribimus etiam ad instruendum eum, quem futurum speramus Episcopum.

35. *Quer.* An poterit juramentum de non ludendo dispensari, vel commutari ab Episcopo, quando jurans, vel vovens, addit, & quod ab eo juramento, vel voto dispensari non possit, nisi per Papam? *Resp.* Secundum Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 11. dub. 5. num. 2. Episcopum posse dispensare, & commutare, quia iste casus non est de illis quinque reservatis Papæ; nec posse jurantem, vel vorentem auferre ab Episcopo auctoritatem, quam dedit ei jus commune; idque tenet etiam Diana part. 7. tract. 9. resol. 59. quæ reposita est in opere Coordinato d. tom. 6. tract. 4. resol. 69.

CAPUT CII.

De Testamentis, & Legatis.

1. *Quer.* Quid sit Testamentum? *Resp.* Est legitima significatio voluntatis propriæ de eo, quod quis de universo patrimonio suo fieri vult post mortem cum institutione hæredis. DD. in l. 1. ff. de Testam.

2. *Quer.* Quotuplex sit Testamentum? *Resp.* Est duplex: aliud Militare, quod à militibus in castris fit; aliud Paganicum. Hoc autem pariter est duplex. Unum solemne, seu in scriptis, per quod secretò Testator disponit de rebus suis. Alterum nuncupativum, & sine scriptis, in quo Testator palam coram testibus nominat hæredem; at nihil prohibet, quin & hoc Testamentum à Notario redigatur in scriptis ad maiorem probationem; sed in hoc non est necessaria scriptura, prout in solemni. DD. in l. consultissima. C. de Testamen.

3. *Quer.* Quæ sint necessaria pro validitate Testamenti? *Resp.* De Jure civili, supposita habilitate Testatoris in testando, & hæredis pro hærede faciendo, in Testamento solemni requiruntur septem testes rogati

uno, & eodem tempore; & quod subscripserint, & obsignaverint Testamentum, in Testamento autem nuncupativo requiruntur septem testes rogati, qui intelligant testamentariam dispositionem. dict. l. Hac consultissima. C. de Testamentis. At de Jure Canonico in utroque Testamento, quando testator facturus testamentum est infirmus, sufficit præsentia duorum testium, & Parochi, seu Sacerdotis, cui totius curæ administratio data est. cap. Cum esses, de Testament. Imò, si testamentum sit ad pias causas, sufficit, si duo tantum testes sint præsentés, cap. Relatum in primo de Testam. Ita Antonellus de Regimine milit. Ecclesie lib. 1. cap. 10. num. 27. & seqq. ubi plurimos allegat. Guid. Pap. decis. 543. num. 11. & 12. ubi advertit, quòd si infirmus ex illa infirmitate convalesceret, testamentum hujusmodi non valeret, saltem ultra annum.

4. *Quer.* Quale sit Testamentum ad pias causas? *Resp.* Esse illud, in quo pia causa est hæres, vel immediatè, vel mediante substitutione. Diana part. 7. tract. 6. resol. 1. Antonell. ubi supra num. 1. Quamvis Addeu. ad Burat. decis. 475. num. 17. advertat, testamentum ad pias causas dici, quando pia causa fuit primo loco instituta; secus si in remotum, & in certum futurum successum substituta.

5. *Quer.* Quæ dicantur Legata pia? *Resp.* Ea esse, quæ præcipuè relicta sunt ob Dei, & Sanctorum honorem, vel spiritualem animæ salutem; qualia sunt relicta Ecclesiis, piis locis, pupillis, pauperibus, & miserabilibus personis; Item Hospitalibus, Confraternitatibus, & aliis piis operibus, de quibus plenè Antonell. ubi supra à num. 2. & seqq. & ibi DD.

6. *Quer.* Quæ sit differentia inter legata pia, & quæ talia non sunt? *Resp.* Quod exequutio piorum Legatorum non differtur durante tempore inventarii; & fructus debentur à die mortis testatoris. Antonell. ubi supra num. 9. 10. & 11.

7. *Quer.* An testamenta sine solemnitatibus à Jure statutis facta sint adimplenda in foro conscientie? *Resp.* Esse hinc inde opinioniones contrarias. Negat Sotus de justitia, & Jure lib. 4. quest. 5. art. 3. & Covarr. in dict. cap. Cum esses, num. 16. de Testam. Afferit Mantica de Conject. ult. volum. lib. 2. tit. 12. & Antonell. num. 32. alios DD. cumulant.

8. *Quer.* An sint attendendæ solemnitates Juris Civilis, vel solemnitates Juris Canonici pro validitate testamenti? *Resp.* In terris Ecclesie servare sufficit solemnitates Juris Canonici. Extra verò Ecclesia Statum temporale servandæ sunt solemnitates Juris Civilis, seu statutorum particularium; nisi testamenta essent ad pias causas, vel fuissent condita à Clericis, quia in his duobus casibus etiam extra Terras Ecclesie sufficiunt solemnitates Juris Canonici. Valasc. decis. 74. num. 13. Antonell. dict. lib. 1. cap. 10. num. 29. 30. & 31.

9. *Quer.* An sint alia testamenta, quæ sustineantur sine solemnitatibus juris civilis? *Resp.* Sustineri testamenta militum, & testa-